

*Q. D. O. M. B. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE  
**DELIRIIS IN GENERE**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**ERNESTO AVGVSTO**

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQVA

D. IMPERAT. AVG. SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS  
PRAEFECTO AC LEGIONIS PEDESTRIS AEQVE  
AC EQVESTRIS TRIBVNO

P R A E S I D E

**IO. ADOLPHO WEDELIO**

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE PROF. PVBL. ORD.  
SERENISS. SAX. DVCVM CONSIL. AVLICO ET ARCHIATRO  
TOTIVS ACADEMIAE ET FACVLT. MEDICAE SENIORE  
ACAD. NAT. CVRIOSOR. COLLEGA

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO OMNI PIETATIS  
CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORIS INSIGNIA ET PRIVILEGIA  
MAIORVM MORE LEGITIME CAPESSENDI  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
S V B I E C I T

**IO. GOTTLIEB SOMMERFELDT**

POMERANVS  
ARCHIATER COBVRGENSIS  
DIE IVNII AN. MDCCXLIV.

Psychiatr.

IENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

22, 58.





I. N. I.



§. I.

VVM in fronte huius dissertationis pollicitus sim, me acturum esse de deliriis, expectabit fortasse aliquis, vt ante declarem, quid de modo nexus, quem inter animam & corpus intercedere certum est, sentiam. Quia vero prolixior esse, quam dissertation mea permittit, prohibeor, cum paucis extricari haec res haud queat, remittere benevolum lectorem ad dissertationem Dn. Præsidis de Principio Vitali ann. 1721. habitam, iam licebit, in qua de re hac ardua, quantum nostro scopo sufficit, actum est. Mihi enim iam constitutum est, de deliriis, quantum ex structura corporis perspicere de causis illorum potui, in præsenti eruditorum examini exponere et exiguae vires meas in hoc exercere, vt quantulacunque mihi per imbecillitatem ingenii ad propositam materiam spectantia inuestigare licuit, aliorum subire iudicia sinam.

§. II.

Statim igitur ab initio rogandi a me sunt ii, qui hanc dissertationem perlegere non grauabuntur, ne vi-

A 2

tio

tio mihi vertant, quod ea, quæ fortasse alias rectius omitti potuisse, iudicabit, sub initium tractationis meæ cum rationibus suis recensere, non superuacaneum duxerim. Sunt enim hæc talia, vt, nisi antea rite consti- tuantur atque explicitur, nihil de ea, circa quam nunc versor, materia accurate tradi possit. Ante omnia igi- tur studebo, vt ostendam omnes nostras perceptiones & motus fieri mediante fluido subtilissimo, quod in neruis mouetur.

### §. III.

Eiusmodi subtile fluidum in corpore humano exi- stere, atque ex sanguine in cerebro secerni, nemo facile in dubium vocare poterit, nisi forte ignoret, per arte- rias carotides & vertebrales, sanguinem meningibus, & ex harum innumeris subtilissimisque vasculis, sub-stantiæ cerebri corticali tradi atque adduci, prætereaquæ totam substantiam cerebri corticalem, quamvis leuissi- me cohæreat, cum parua pressione dirimi possit, ta- men, quod ex injectionibus *Ruyfchii* cognitum est, ex infinita minimorum subtilissimorumque vasorum sangi- ferorum serie constare, ideoque omnia hic adesse, quæ ad secretionem requiruntur. Vbi autem omnia ad se-cretionem adsunt necessaria, ibi secretionem fieri con- sentaneum est.

### §. IV.

Hoc fluidum, quod ex substantia corticali cerebri in tubulos cerebri substantiæ medullaris secernitur, sub-tilissimum esse eorum, quæ in humano corpore inueni- mus, quare etiam *spirituum animalium* nomine venit, elu- cescit ex theoria Illustris & Excellentissimi *Hambergeri*, Præceptoris ac Patroni perpetuo obsequio ob plurima benefi-

beneficia a me colendi, qui in prælectionibus physiologicis dilucide explicat, omnes secretiones ex adhæsione, secundum grauitatem specificam proxime æqualem vel minorem vasculis fieri, &, quanto densiora sint vasa secretoria in viscere aliquo, tanto fieri fluida specifice grauiora & crassiora. Quum igitur insint cerebro vasa ad secernendum, omnium, quæ sunt in toto corpore, subtilissima, & angustissima, eademque habeant minimam grauitatem specificam, & adsit sanguis iamdum continens has partes subtilissimas, quæ spiritus vitales alias dicuntur, quamdiu in eodem hærent, & ad secretionem aptas, quidni, hic subtilissimum hoc fluidum secerni, affirmare possimus?

### §. V.

Subtilia hæc fluida, quæ in substantia cerebri corticali secernuntur, vt, quemadmodum omnia reliqua secreta, aut excernantur, aut cum corpore ad usum communicentur, necesse est. Quia vero nulla hic ad excretionem apta inueniuntur vasa, substantia vero corticalis cum medullari per innumera subtilia vasa connectitur, adeo, vt, ubi tenuior cortex definit, ibi incipiat medulla, deinde, quia subtile eiusmodi fluidum in medulla oblongata inuenitur, quod patet ex Celeb. Bærhauii experimentis *in prælect. ad Instit. rei medicæ ex Edit. Excell. Halleri ad §. 274.* nemo facile dubitabit, subtile hoc fluidum per hanc vasorum communicacionem transire ad substantiam medullarem.

### §. VI.

Ex hac substantia medullari huiusque medulla oblongata, vt testantur anatomici, abeunt nerui, ex innu-

A 3

meris

meris canaliculis, qui sunt eiusdem substantiae, compo-  
siti. Hi tunica quadam, quam continuationem piæ  
matris vocant, includuntur, & nonnunquam in ex-  
pansionem tendinosam desinunt, & per totum cor-  
pus dispersi sunt ac distributi. Per hos nervos, fluidis  
subtilibus, quæ, ut antea dixi, sunt in substantia medul-  
lari & oblongata, transendum esse, ex sequentibus col-  
ligi posse, arbitror. Primo enim pressio fluidorum sem-  
per succendentium, redditum fluidis prioribus nullum  
permittere potest. Deinde nulla vasa præter nervos  
cum substantia medullari & oblongata connectuntur.  
Hæc tamen argumenta, si cui non sufficere videbun-  
tur, ad probandum, quod iam probare allaboro, sciat,  
etiam evidenti experimento rem posse declarari. Quo-  
ties ligatur nerus, experimur, in ea corporis parte,  
quæ est infra ligaturam, in quam nerus progreditur,  
nullum deprehendi nec sensum nec motum; iam vero  
per ligaturam neutiquam perficitur, ut nerus minus  
sit continuus, sed tantum meatus comprimuntur, &  
fluidum, quominus libere commeare possit, impeditur,

### §. VII.

Hac experientia docemur, nervos, quatenus libe-  
ram cum cerebro habent spirituum animalium commu-  
nicationem, in se continere rationem sensationis & mo-  
tuum, cuius rei modum Vir Illustris Hambergerus in  
prælectionibus Physiologicis sequenti ratione eruditissi-  
me simul ac maxime perspicue tradit. *Corpora dicens*  
*externa tanquam corpora in organa sensuum alio modo agere*  
*nequeunt quam*

- 1.) *quatenus nostri corporis partes e loco suo pellere co-  
nantur.*
- 2.) *Ner-*

- 2.) Nervorum pressorum, quia vasa sunt, parietes cedunt,  
et premunt fluidum contentum.
- 3.) hinc momento huius motus conatus continuatur usque  
in cerebrum, tanquam originem nervorum, ita qui-  
dem, ut
- 4.) Singula nervi puncta pulsata afficiant motu spirituum  
animalium distincta puncta medullae cerebri.
- 5.) Quo facto, anima harum actionum fit conscientia, (expe-  
rientia teste) tametsi ratio huius conscientiae plane sit  
incognita.

### §. VIII.

Ratio motus est fere eadem, nisi quod spiritus ani-  
males, qui in sensatione sursum ad medullam cerebri  
premebantur, nunc desuper ex cerebro, quod verisimile  
est, per nervos, huic rei aptos et proprios, moueantur.  
Hic descensus spirituum animalium in statu naturali ob-  
seruatur duplex, quorum alter motuum voluntario-  
rum, alter involuntariorum, continet rationem. Prior  
fit per nervos medullaris substanti ac cerebri, alter per  
nervos cerebelli. Sed haec, utpote parum ad rem,  
quam tractamus, utilitatis conferentia, ulterius expli-  
care, supersedebimus.

### §. IX.

Impulsus autem, qui fit a corporibus externis in  
organis sensuum extenorū, & per haec in nervos &  
spiritus animales, in distinctis tubulis cerebri harentes,  
dummodo legitimo fiat modo, in statu naturali in se  
habet causam idearum. Et, quia idea haec, in tubulis  
medullæ existens, a praesente obiecto impellente fit, eo  
ipso idea materialis vocari potest, cum absente corpore  
imperat.

impellente non fiat, sed huius præsentiam semper supponat. Ideæ autem materiales, vt per diuersa obiecta, diuersosque organorum nenuos fiunt, & pro diuersa horum cum cerebro connexione, diuersæ sunt. Impulsus iste, si sit debilior, aut nullam, aut obscuram producit ideam; debitus si sit, recte sentimus; si vero plures simul diuersi fiunt impulsus, fortiorem tantum sentimus; &, si nimis diuersis impulsibus obruantur organa nostra, tum ideæ in anima oriuntur confusæ. Ex materiali idea in anima nihil aliud sequitur, quam perceptio seu sensatio obiecti externi præsentis, per conueniens organon sensorium externum agentis.

### §. X.

Præter ideas materiales dantur aliæ ideæ, quæ sine præsente obiecto externo, adeoque etiam sine hu-  
ius impulsu, in substantia cerebri medullari oriuntur,  
& ab anima ibidem percipiuntur, quas *imaginarias* ap-  
pellare possumus. Fiunt autem hæ ideæ vel ab ipsa  
anima, vel a temperie spirituum animalium. Ipsa ani-  
ma, experientia teste, pro lubitu formare potest ideas  
similes, quales alias ab obiectis externis factæ sunt, vel  
etiam fieri possunt. Hæ autem similes tantum, non  
autem præcisæ eadem sunt, remissior enim motus spi-  
rituum in his adest, quam in illis. Et eo ipso anima  
scire valet, non adesse ipsum obiectum externum, sed  
tantum similem eiusdem ideam, quam percipit & con-  
siderat. Spirituum animalium temperiem cum sequa-  
tur eorundem motus determinatus, hic in medullari ce-  
rebri substantia talem quoque ideam exhibet, & ab  
anima percipitur, vt experientia docet; ipsaque anima  
scit, se eandem non produxisse, sed sibi repræsentari.

Hæ

Hæ quoque ideæ variant pro spirituum animalium temperiei varietate, aliae enim sunt in sanguineis, aliae in biliosis, aliae in atrabilariis, aliae in melancholicis, aliae in phlegmaticis; spirituum temperies autem semper fundamentum habet in sanguinis temperamento.

### §. XI.

Anima ideas laudatas non solum percipere, & a se inuicem discernere, verum etiam, in primis si de novo reperantur, retinere valet, quæ ultima facultas memoriæ nomine venit. Ex ideis a memoria, & alias, suppeditatis experimur, animam iudicare posse, appetere, auersari, &c, quod sequitur, actiones in corpore producere voluntarias. Hæc tamen quia sunt animæ attributa, metaphysicorum relinquenda censeo disquisitioni, & ad ea tantum respicio, quæ supra §. 7. & sequ. de motu tradita sunt.

### §. XII.

Ad recte per se agendum vero requiritur, vt homo recte iudicet; ad recte iudicandum, vt memoria iustas ideas suppeditet; vt memoria iustas suppeditet ideas, vt iustas accipiat ideas, aut habeat in promptu, necessarium est; vt tales accipiat, tam ideæ materiales quam imaginariæ vt rite se habeant, requiritur. In omnibus igitur animæ operationibus, omnibusque, quæ ex his determinantur, voluntariis in corpore actionibus, vt ideæ adsint laudatae, requiritur. Hoc philosophi non solum rationibus euincunt, sed idem etiam ipsa docemur experientia. Deprehendimus enim, dicto modo fieri in anima nostra ideas, & post ideas in anima nostra, motus corporis animaduertimus. Ideas vero tam materiales, quam imaginarias cum retineat

B

anima.

anima. §. II. & pro lubitu de nouo formare & repetere queat §. IO. si spiritus animales rite se habeant, operationes animæ, actionesque voluntariæ conuenienter perficiuntur.

### §. XIII.

Vbi igitur nullæ adsunt tales ideæ, homo nec potest iudicare nec agere. Cui vero iustæ sunt ideæ eiusmodi, quæ in medullari cerebri parte in statu naturali adsunt, quas ideas naturales vocabimus, ille, quatenus hæ adsunt, recte potest iudicare, recteque agere. Contra vero, si quis habeat ideas materiales, obiecto praesenti non respondentes; ideas imaginarias autem haud similes, quales alias ab obiectis externis factæ sunt, vel fieri possunt, nec ab anima pro lubitu excitatas, sed potius ab intemperie spirituum animalium ortas, & ideo præternaturales existunt & dici debent, ille, quatenus ipsi sunt ideæ præternaturales, nec potest recte iudicare, nec agere.

### §. XIV.

Iudicium & actio obiectis non respondentia, quæ oriuntur ex ideis præternaturalibus, vocantur delirium. Huius causæ immediatae sunt ideæ præternaturales. Idearum vero præternaturalium causa est intemperies spirituum animalium; uti naturalium idearum causa est temperies spirituum animalium decens, in parte cerebri medullari hærentium.

### §. XV.

Spirituum enim animalium temperie debita praesente, hi in medullari cerebri substantia impulsum, a corporibus externis in organa sensuum extenorium factum legitime recipiunt, ut eorum motum respondentem,

tem, seu ideam materialem, anima recte percipere queat. Non minus anima, spiritibus ita se habentibus, formare ideas pro lubitu valet, & ipsi spiritus motu suo debito animæ ideas varias exhibent, vt §. 10. dictum est. Intemperati autem spiritus animales si fuerint redditi, motu inconuenienti iam gaudent, & hinc non ita raro impulsum, ab obiectis externis factum, haud recte recipere possunt, vnde & perturbatae ideæ materiales redunduntur. Imaginariæ quoque ideæ in tali spirituum statu perturbatae euadunt, nec enim anima pro lubitu ideas formare potest, nec ideæ sponte occurrentes sunt tantum similes, sed præcisæ eadem, ac si ab impellente obiecto externo fuerint excitatae, vnde anima decipitur, vt has quoque pro materialibus habeat ideis, hinc etiam actiones absurdæ sequuntur. Intemperies vero spiritus ex statu suo blando suavi in utrumque extremum mutat; vt vel efforati, vel depresso, euadant, vnde diuersa quoque consurgunt deliria. Intemperies hæc a sanguinis statu prouenit, qualis enim sanguis est, tales etiam sunt spiritus. Hoc suo iam tempore vidit & testatus est Hippocrates eleganter dicens in Lib. de flat. *Sanguis, si in constanti habitu consistit, consistit etiam prudentia, eo vero permutato, hæc simul concidit.* Hic autem sanguis tribus modis potest peccare, quantitate nempe, qualitate, & motu. Sola quantitate auctus, per se spiritus intemperatos reddere haud potest, sed tunc demum, si ipse intemperatus sit, vel talis reddatur. Nam eo ipso spiritus intemperati fiunt copiosiores, & promptius in substantiam medullarem secernuntur.

## §. XVI.

Ad qualitatem vero quod attinet, istæ in primis  
B 2 propor-

proportiones vitiatae videntur sanguineæ, quæ a veteribus adpellantur

- 1.) *Cacochymia biliosa*, vbi partes alcalicæ volatiles, vel etiam alcalicæ cum sulphureis abundant, serosæ vero pauciores adfunt.
- 2.) *Cacochymia atrabilaria*, vbi salinosulphureæ in sanguine, cum acidis con fermentatæ & paucò sero hærent.
- 3.) *Cacochymia melancholica*, vbi acidæ fixæ tartareæ abundant, alcalicæ vero & sulphureæ de pressæ sunt.

& intemperatum sanguinem, & tales spiritus, reddendo, deliriis præbent occasionem.

### §. XVII.

Motu sanguinis peccat, si stasin in vasis cerebri subbeat, magis enim vel mitius efferatus inde fit, pro ipsius staseos & sanguinis reliqua conditione, & inflammatio sequitur. Spiritus itaque, in hoc sanguine hærentes, itidem intemperati ut euadant, necesse est, & hinc in medullam cerebri secedentes ideas præternaturales præbent. Stasin hanc vel ipse sanguinis infert, verbi gratia in febribus, vel aliæ causæ, ut vulnera capitis &c. eam faciunt. Est igitur sanguinis morbosa constitutio spirituum intemperatorum causa, qui motum præternaturalem in medullari cerebri substantia, vbi propria est sedes idearum, obtinent, adeoque ideas præternaturales animæ obtrudunt, id quod ipse Hippocrates in *Lib. de morbo sacro* ita exprimit: *Hac parte sapimus, & intelligimus, & videmus, & audimus, & turpia & honesta cognoscimus, & hac ipsa etiam insanimus.*

### §. XVIII.

Quemadmodum autem sanguinis intemperies diversa

uersa est, prout vel hæ vel aliæ partes in ea eminent, ita etiam spiritus animales semper, pro hac diuersa ratione, intemperati euadunt diuersimode, ergo nec legitimus horum motus & impulsus locum habere possunt, sed sub aliis conditionibus, aliæ ideæ præternaturales efficiuntur. Ita videmus, alios delirantium res lætas sibi imaginari, alios tristes esse, alios furiosos; alii lenlte, alii vehementer agunt, vel alii delirant mitius, alii grauius, alii semper, alii per interualla, & qui sunt reliqui deliriorum modi diuersi.

### §. XIX.

Sanguinis autem vitia laudata oriuntur & augmentur a causis mediatis remotioribus, naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus. Ex naturalibus occurrit temperamentum calidum & siccum, seu biliosum, atrabilarium & melancholicum. In bilioso itaque partes biliosæ feruidiores & volatiliores faciliter incrementum capere possunt, cum secundum naturam iamdum copiosiores & actiuiores adsint; serosæ vero blandæ pauciores, in statu naturali præsentes, faciliter minuerqueunt, vnde & feruidior & spissior sanguis & acrior fieri potest facile, causis aliis accendentibus, in quo sanguine postmodum efferationes hærent spiritus.

### §. XX.

In atrabilario temperamento secundum naturam adsunt abundantes partes bilioso-acidæ volatiles, & lymphaticæ temperantes pauciores, eo tamen gradu, ut actiones corporis humani rite possint peragi. Per se vero patet, faciliter in eodem nimiam illarum augmentationem, lymphæ vero temperantis imminutionem

B 3 & de-

& depressionem contingere posse, quam in aliis tempore  
ramentis. Par ratio est temperamenti melancholici,  
quod, naturale licet sit, vicinus tamen est melancholiæ  
morbosæ, in qua acidum præter naturam eminens est,  
modo solum fixius, modo biliosum fixius, vnde & spi  
ritus tales vitiati euadunt. Sanguineum temperamen  
tum & phlegmaticum non tam promte talem vitiosum  
siveunt statum, nisi causæ grauiores accedant. A sic  
ciori enim intemperie spiritus facilius ita intemperati  
redduntur. Non minus temperamentum sanguineo  
melancholicum & cholerico-melancholicum talem mu  
tationem præternaturalem facilius suscipit. Ætas iu  
uenilis, consistens, vegeta, hinc & senilis, deliriis est ex  
posita, vt & aliquando puerilis. Nonnunquam etiam  
dispositio hereditaria in quibusdam concurredit.

### §. XXI.

Ex nonnaturalibus causis aer nimis calidus calo  
rem corporis nimis auget, serum vero blandum nimis  
absumit. Biliose itaque partes nimis augentur, acriores  
& efferatores fiunt, sanguisque crassior, maxime in cor  
poribus, vbi iamdum secundum naturam eminent tales  
partes. Sequitur aer nimis frigidus, qui calorem cor  
poris in se recipiens, imprimis si sanguis antea rarefa  
ctus fuit, extrema vasorum constringit, sanguinem ad  
interiora corporis, & cerebri pellit, & impedit transpira  
tionem insensibilem. Hac autem impedita, partes, quæ  
per transpirationem excernendæ erant, remanent, &  
sanguis inde fit condensatus, & legitimæ temperiei spiri  
tuum animalium repugnans.

### §. XXII.

## §. XXII.

Ad talem mutationem etiam sanguinis conferre possunt cibi, copia aut defectu excedentes, nec non crassi, austeri, falsi, aromatici, acidi, fumo & aere indurati, viscidi &c., qui a menstruo ventriculi, & intestinorum, non fatis resoluti possunt, unde tales partes, ex quibus constant, crudæ cum sanguine communicantur, eumque reddunt vitiatum. Ita etiam fit, ut cibis minori, quam debebant, copia sumptis, sanguis, cuius partes fluidiores magis secernuntur & excernuntur, incrassescat. E sanguine autem spissiore, spiritus animales, iustum qualitatem habentes, secerni non posse, neminem facile inficiaturum arbitror. Etiam hic adnotandum est, eiusmodi mala orta e quantitate & qualitate ciborum, vel aucta vel immunita, pro constitutione hominum, nunc plus, nunc minus, damnum inferre, ita ut ex diuersa sanguinis vitiata qualitate spiritus animales, quantitate & qualitate peccantes, secerni, & inde varia deliria oriri, queant.

## §. XXIII.

Ad ingesta referenda putauit adsumpta venena, narcotica, & medicamenta, temere adhibita. Narcotica celeriter, & sine alia causa accedente, teste experientia, in deliria præcipitant. Talia sunt, hyoscyami, in primis nigri, radices, folia, flores ac semen, baccæ belladonnæ, semen daturæ, radix cicutæ, pluraque alia, quæ hic recensere longum foret. Hæc omnia, si ad stomachum, qui propter neruorum copiam præ reliquis visceribus facile potest affici, deferuntur, subtilibus salibus suis narcoticis, neruos adeo stimulant & constringunt,

gunt, vt spiritus qui in iis sunt animales sursum premantur. Tunc oriuntur motus atque impulsus irregulares spirituum, qui si fiant maiori gradu spasmos, conuulsiones & deliria sequi certum est. Firmant hæc experimenta *Wepferi*, quæ descripsit in elaboratissimo tractatu de cicta aquatica, vbi dicit: *quam primum hæret bulbus cicutæ aquatice in ventriculo fit conuulsio, si vero bulbus euomatur statim conuulsio cessat.* &c. Item, quod Celeb. Frid. Hoffmannus Medicin. rational. T. II. Cap. II. de Venenis §. 21. scribit: *Et notabile est, quod narcotica, it. arsenicalia, antimonialia, cito, antequam ad massam sanguineam eorum materia dispersa fuerit, cum quasi adhuc integra & vix soluta in ventriculo hærent, virulentiam suam produnt, dum arctissime contrahunt orificia, teste anatomie.* Plura exempla & testimonia, quamuis in promptu sint, quia adlata sufficere possunt, nunc prætermitto. Satis enim aperte ex his colligi potest, eiusmodi adsumpta vel solo stimulo in ventriculo pessimos effectus producere.

#### §. XXIV.

Præterea autem negari non potest, quasdam harum particulas, spiritibus aduersas, statim in ventriculo solui, & per vas a lactea sanguini communicari, adeoque spiritus in eodem intemperatos reddere, qui ita vitiati in medullarem cerebri substantiam secernuntur, vbi motum suum vitiosum, vt spiritus animales, exhibent. Multo magis vero, si copiosiores in ventriculo resoluantur, digerantur, & sanguini commisceantur, eandem vim maiorem exferent, & acrimonia sua tam sanguinem quam spiritus, in eodem hærentes, magis intemperatos, reddent, quales etiam tunc spiritus

ritus animales secreti necessario existunt. Imo eiusmodi partes, si ad sanguinea vasa subtiliora extrema ferantur, tam crassitie, quam vi stimulante earum, fit, ut obstructio & stasis sanguinis, & inflammationes cum febribus coniunctæ, oriantur, adeoque deliria producantur grauiora. Operationes assumptorum venenorum, & medicamentorum temere adhibitorum, quatenus ad deliria conferre possunt, ab operationibus narcotico-rum non differunt, nisi quod venena acria, & hæc ipsa pro gradu acrimoniæ, vehementius agant, vehementioresque omnes producant effectus.

### §. XXV.

Potus nisi tanta adsumatur copia, quantum adsumere par erat, serum non sufficienter restituitur, quod per secretiones & excretiones imminuitur. Sique tunc talis status sanguinis adsit, vt partes biliosæ, vel atrabilariæ, aut secundum aut præter naturam, abundant, hæ vt eminentiores fiant & acriores, necesse est. Similimodo, si abundant iam acidæ fixiores, vel acido-bilio-sæ fixiores, hæ quoque nimis augentur, & deteriores efficiuntur. Sanguis itaque & spiritus intemperati redundunt, lympha blanda & dulci magis deficiente. Cumque sanguis fluxilitatem a lympha blanda habeat, eo ipso etiam crassior vna vt fiat, necesse est. Potus spirituosis si copiosius & frequentius hauriatur, partes biliosas & atrabilarias, in sanguine exsuperantes, nimis auget, & exagitat, serum blandum autem, iamdum parcus præsens, nimis dissipat & absunit, vnde intemperatus sanguis, acrior, efferatus, & spissior oritur, spiritusque efferatores continet. Cum autem talis potus acidæ fixas quoque partes in se contineat, in illis ho-

C

mini-

minibus, qui acidum fixius abundans habent, acor ille fixior, vel solus, vel simul biliosus fixior, nimis augeatur; lympha vero dulcis, pauca adhuc superstes, a spirituosa potus parte diffatatur, & magis consumitur. Hic autem sanguis, valde intemperatus ita euadens, spiritus magis ligatos & depressoſos vt exhibeat, necesse est.

### §. XXVI.

Motus nimius, in primis continuatus, cum progressuum sanguinis motum nimis augeat, tam intestinum sanguinis motum, & euolutionem partium salino-sulphurearum & ignearum nimis excitat, quam serum copiosius sub forma sudoris expellit & minuit. Sic igitur sanguinis intemperiei, & inde dependenti efferationi spirituum, occasionem præbet, si sanguinis proportio huic malo vicina sit. Eo promptius autem hæc motus nimius efficit, si in calidiori vna fiat aere. Quies nimia, vt generatim partium crassiorum & fixiorum secretionem & excretionem impedit, ita acidum fixius, vel solum, vel biliosum fixius, spiritibus infensum, huius culpa incrementum capit, & intemperatum sanguinem efficit, similes spiritus continentem.

### §. XXVII.

Vigiliæ nimiaæ, cum serum blandum absument, acriores in sanguine existentes, vel biliosæ, vel atrabiliariæ, vel acidæ fixiores, vel acidæ biliosæ fixiores, maiorem vim adquirunt, vt & spiritus ita vitiati & intemperati fiant, & vel efferatiores, vel depressoſores, irrequieti tamen, euadant. Somnus vero nimius per se deliriis occasionem non præbet, cum talem intemperiem haud faciat, & in delirio potius bonum signum sit, somnus blandus si redeat.

### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Animi pathemata in motu spirituum consistunt, vel maiore seu efferatione, vel minore seu depresso-ne, eorundem. Spiritus autem in tali motu constituti vim habent in sanguinem, quod effectus & experientia in affectibus animi grauioribus statim docet, cum ad sensum mutetur. Breui tamen sanguis, nisi alia concurrat causa, ad pristinum statum redit. Si autem vel efferatio vel depresso eorundem grauior fortius & crebrius fiat, in ipso sanguine porportio similis infertur, ut hinc, in eodem vitiata proportione, spiritus etiam intemperati eius commatis producantur. Potissimum vero hoc tunc fit, quando proportioni huic vitiatæ vicinus iam adest sanguinis status, vel alia mala a tali sanguine corpori inferuntur, quæ vitiatam eiusmodi proportionem inferre, vel conseruare, valent. Ex his patere potest, quomodo ira, excandescens, amor insanus, fastus, superbia, timor, moeror, luctus, tristitia longius durans, curæ, meditationes profundæ, nimis continuatæ &c. occasionem deliriis præbere possint.

## §. XXIX.

Quando partes biliosæ, vel atrabilariæ, vel acidæ fixiores, vel acido biliosæ fixiores, insanguine hærentes & abundantes, vna cum sanguine secedunt & exeunt, in feminis per menses & lochia, in utroque sexu per hæmorrhoides, ordinarie fluentes, in quibusdam etiam per hæmorrhagiam narium, temperies sanguinis reliqua adhuc conseruatur; his autem excretionibus suppressis, remanent, intemperiesque talis oritur, quam faciunt remanentes hæ partes pro sua conditione. Serum  
C 2 blan-

blandum & dulce, modo recensitas partes temperans, demulcens, fluxilioresque reddens, & ad separationem & excretionem habiliores efficiens, si nimis excernatur & immixtatur, illas eminentiores & actiuiores reddi, magisque retineri, adeoque augeri, intelligi potest facile.

### §. XXX.

Ex præternaturalibus causis occurunt morbi intemperiei, conformatio[n]is, & solutæ vnitatis. Ex intemperiei vniuersalis morbis sunt febres, in quibus etiam intermittentibus in paroxysmo, delirant ægri, in primis vero in continuis, ob partes biliosas fermentificas efferatas exuperantes, vnde etiam vigiliæ præcedere solent. Mitiores si hæc sint partes, faciliusque superabiles, transiens est tale delirium, & saepe sponte iterum cessans, vt in primis in intermittentibus id apparet, interdum etiam in continuis. In his autem haud raro grauiores & copiosiores deprehenduntur, nec facile subigi & corrigi valentes, vnde & grauius & periculosius emergit delirium, quod in malignis frequenter occurrit.

### §. XXXI.

Febris si coniungatur particularis intemperies calida, seu inflammatio membranarum cerebri eiusque substantia corticalis, adhuc grauius consurgit delirium quod seorsim *phrenitis* dici solet. In hoc itaque delirio, quod *phrenitis* vocatur, & febris adest continua & acuta, & inflammatio cerebri. Perinde autem est, num febris hæc initium fecerit, & stasin sanguinis in cerebro induxit vel immediate, vel mediate, prius stasi facta in pleura, vel pulmonibus, vt hinc a pleuritide, vel peri-pneu-

pneumonia, *μετασάση* facta, illa fiat; an vero prius inflammatio in meningibus & corticali cerebri substantia orta, quod in primis per vulnera capitis & contusiones, præsertim circa suturas, fieri solet, nisi aptis remediis, statim rite applicatis, id præcaueatur, febrim statim induixerit. Febris etiam combinata inflammationi diaphragmatis delirium infert, quod *paraphrenitis* vocatur, vbi cerebrum magis per consensum adficitur & respectiue mitius est.

### §. XXXII.

Præter hæc deliria, febrim coniunctam habentia, alia a febribus oriuntur, quæ post febrim cessantem se exerunt, & sine febri permanent. Ita post febres intermittentes, tertianam & quartanam, imo etiam post continuas aliquando, *melancholia* sequitur, si per has febres partes aëtiuiiores sanguinis nimis imminutæ, & fixiores magis exaltatæ, fuerint, quod ob errores ægrorum, aliquando & non recte curantium, nonnunquam etiam ob viscerum depurantium vitium, fit. Imo etiam febres ardentes cessantes aliquando maniam post se relinquunt, iisdem de causis, si secedentibus biliosis fermentificis partibus, febrim facientibus, acido-biliosæ volatiles eminentes euadant & remaneant, itidem simul visceribus, sanguinem depurantibus, non rite se habentibus.

### §. XXXIII.

Cum in mania præsentes partes acido-biliosæ volatileiores aliquando ita suam intemperiem mutent, ut acidum fixius, vel acido-bilosum fixius, inde evadat, diffatis volatibus, & ob varias causas, accedentibus fixioribus,

bus, ex mania oritur melancholia; & vice versa, si acidæ fixiores, vel acido-biliofæ fixiores, reddantur volatiliores, ex melancholicis maniaci fieri possunt, quod experientia ostendit. Ita etiam obseruatum fuit, ab epilepsia ortam fuisse melancholiā, quod fieri aliter non potest quam mutatione lymphæ acido-biliofæ volatile irritantis in acidam fixam.

### §. XXXIV.

Ex conformatiōis morbis *huc* pertinet in primis obstrūctio viscerum, sanguinem depurantium, quæ & *malum hypochondriacum*, & *scorbutum*, & adfectum *hystericum*, efficit. Singula autem hæc mala, diuersimode se habentia, deliriis sine febribus fundamentum exhibent, intemperiem talem sanguini & spiritibus conciliando, qualis in iisdem occurrit. Hæc autem specialem deliriorum considerationem postulant, ad quam accedere iam non licet.

### §. XXXV.

Solutæ vnitatis mentio iam superius §. 17. facta est, inflammationem cerebri inferre valens. Ad hanc referri etiam potest morsus canis rabidi, & tarantulæ, de quibus in specialioribus melius agitur, ubi non tam morsus, quam per hunc communicatum venenum, spiritibus nocium, considerari debet.

### §. XXXVI.

Distinguuntur deliria, quod aliud sit transitorium aliud constans. Illud est, quod a leuiori causa, ut ab erroribus externis in alimentis, vel medicamentis, vel a leuiori sanguinis aberratione, quæ sponte iterum, & breui

breui, cessant, oritur & *paraphrosyne* vocatur. Tale etiam in febribus tam intermittentibus in paroxysmo, quam continuis occurrit, si dictas conditiones habeat, alias autem sine febri quoque obseruatur. Constans autem est & dicitur, quod a grauiori oritur causa, & hinc vel diutius persistit, vel vitæ periculum coniunctum habet. Grauius & constans tale delirium sine febre esse consuevit, & iterum est vel cum efferatione, vel cum depressione spiritum. Cum efferatione diuerso gradu est *mania*, quæ est furor sine febri, & furor *ναρ' ξοχην'* etiam dici solet. Cum depressione spirituum autem existens est *melandholia*, quæ hinc est delirium triste, sine furore & febri. Delirium constans, vitæ periculum coniunctum habens, est cum febre acuta, &, si cum inflammatione membranarum cerebri & corticalis cerebri substantiæ, contingit, *phrenitis* dicitur, quæ est furor cum febre; quodsi autem cum inflammatione dia-phragmatis eueniat, *paraphrenitis* vocatur. *Rabies*, a morsu animalis rabidi, vel ab assumptione sanguinis, cerebri, lactis, illius, orta, partim ad melancholiam, partim ad maniam referri potest, & ad speciale deliriorum considerationem, ut & *tarantismus*, pertinet.

### §. XXXVII.

Cognosci delirium præsens potest facile, sermone enim & gestibus patefit, quæ ostendunt, ægros circa obiecta, de quibus cogitare & rationari debent, non rite versari, sed absurdâ loqui & facere. Quænam autem species deliriorum ægrum teneat, partim ex dictis, partim ex specialiori tractatione patebit, quomodo deprehendi queat.

### §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Prognosis generalis ex ante dictis ex parte haberī quidem potest, melius autem & distinctius in cuiuslibet specialis delirii doctrina deprehenditur.

## § XXXIX.

Curatio deliriorum, cum ab ideis præternaturali bus fiant, hæc autem ab intemperie spirituum animaliū proueniant §. 14, hæc vero a sanguinis statu dependeat §. 15, generatim postulat, ut statum sanguinis vitiosum præsentem ad naturalem perducamus, sic enim redibit temperies spirituum decens, & ideæ fient naturales, deliriumque cessabit.

## §. XL.

Quomodo autem in qualibet delirii specie id fieri debeat, ex cuiuslibet delirii accurata speciali cognitione, causis fouentibus specialibus, & circumstantiis præsentibus, determinari debet, quod hoc loco, cum iam tantum generatim de deliriis agere promise- rimus, præstari non potest, pedem itaque hic figimus.

**SOLI DEO GLORIA!**



III/XXXII.